

enigmata q̄ in hac intā in dēn.

par. s̄ nō rotat p̄fic̄ intā in



IX
DISPUTATIO
DE PACTIS.

Quam

Adnuente Deo Trinuno,

Consensu atq; permissu Magnifici
Dni. Ordinarij, Amplissimæq; Faculta-
tis Juridicæ in Incluta Lipsiensium
Academia.

P R Æ S I D E.

Clarissimo, Consultissimoq; Viro, Dno.

V Vilhelmo Schmuckio,

Philosophiæ & I. U. D. Præceptore

suo æviternum venerando

Publicè

In auditorio Ictorum tueri conabitur

V V I L H E L M. M V L L E R,

Hamb. Saxo. Aut. & Resp.

Initium fiet hor. VII. matut.

ad diem XXVI. Martij.

L I P S I Æ,

Excudebat LAURENTIUS COBER.

Anno M. DC. XVIII.

emigmate qui in hac vita incedit.

par. s. no totat vna iura

DISPUTATIO

DE PACTIS

Quam

Abhinc Deo Trinuo

Consensu ad; permissu Magnifici
Dni. Ordinarj, Amplissimi ad; Faculta-
tis Juridice in Facultate Iuridica
Academiae

PRASIDE

Clarissimo, Consistorio, Viro, Dno.

WILHELMO SCHMUCKIO,

Philosopho & I. U. D. Praeceptore

in Universitate vniuersa

Publico

in Academiae Iuridicae Praeside

WILHELM. MULLER,

Hamb. Saxo. Auc. R. C. P.

Initium fecit hoc. VII. Martii.

Abd. 1717.

LIPSIÆ,

Excudit LAURENTIUS COBEL

Anno MDCCXVII.





THESIS I.

Pactum (quod est ab antiquo verbo Pago seu paco) bifariam in jure nostro accipitur. Generaliter & Specialiter. Generaliter quando sumitur, tunc ut Genus comprehendit omnes species contractuum, quin & transactiones omnes: omnem etiam & qualemcunq; conventionem, sive Nudam sive non Nudam.

Cic. lib. 2. de invent & in partit. Orator.

I.

Et in hac significatione Pactum: (quod idem est cum conventionione ac pactione.)

l. 1. l. 7. §. 4. cum seqq. ff. h. t. & in l. solent 15. ff. de prescrip. verb.
Ulpianus definit, quod sit, duorum vel plurium, in idem placitum consensus.

l. 1. §. 2. & 3. l. 2. l. 7. §. 4. & seqq. hic. l. 7. l. 10. C. eod. l. 71. ff. pro soc.

II.

Specialiter vero & propriè sumitur pro eâ conventionione, cui nulla subest causa, præter conventionionem, & dicitur pactum nudum sepa-

A 2 ratum

ratum à contractibus proprijs & improprijs, nominatis & innominatis.

lason in l. 7. §. sed cum nulla n. 27. h. t.

IV.

Pactum autem Nudum dicitur re & nomine. Re quia præter conventionem, nulla datio nullum factum intervenit, ob quæ vicissim aliquid fiat, aut detur. Nomine, quia quemadmodum est conventio, ita etiam dicitur nomine generali, neq; proprium nomen habet, in quod transit; quod tamen secus est in contractibus.

Cujac. lib. 11. Observ. c. 17. & lib. 14. observat. cap. 28. & in 8. ad Africanum, in explicatione l. Titius Sempronio ff. de Prescrip. verb. Borch. hoc tit. cap. 2. n. 4.

V.

Pactum generatim sumtum aliud est publicum, aliud privatum. Et hoc est vel juris gentium tantum (ut pactum in specie dictum, & contractui, ut speciei contrariæ oppositum) vel legitimum, seu à jure civili confirmatum, quo referimus omnes species seu contractus, & pacta, quæ in specie dicuntur legitima.

l. 5. h. t.

VI.

Præterea ratione causæ efficientis, Pactum aliud est expressum; (in quo consensus est expressus,



pressus, h. e. literis aut verbis declaratus.) Aliud
tacitum, quod re ipsâ, sine verbis, vel ex præ-
sumpta paciscentium voluntate introducitur.

l. 2. h. tit. nostro. l. juris gentium, eod.

VII.

A lege ob factum aliquod, cum quidem de
utriusq; partis consensu non constet, eo ipso ta-
men, quod, quid factum, utraq; pars consen-
sum adhibuisse fingitur, ob naturam & ratio-
nem rei sive negotij, quod inter contrahentes
geritur.

*l. legitima 6. h. t. §. 1. inst. de Oblig. l. 13. in fin. ff. commod.
l. 20. pr. ff. de præscr. verb.*

VIII.

Hinc si creditor debitori suo chirogra-
phum reddiderit, eo ipso tacitè convenisse vi-
detur ne petat. *a* Non idem reddito pignore
dicendum; licet enim pignore reddito, obliga-
tio pignoris tollatur, debitum tamen ipsum ni-
hilominus peti posse putamus. *b*

*a) l. 2. §. 1. h. t. Freutler. disp. 6. vol. 1. Cui non obstat l. 24. de
probat. vid. Castrensis ad d. l. 2. Conn. 5. com. 4. n. 2. adde l. 7. C. de
remis. pig. l. 59. de leg. 3. l. 44. §. 5. l. 48. §. 7. de leg. 2.*

*b) l. 3. h. t. l. 6. in fin. de precar. arg. l. final. de ijs qua in re-
stam. del.*

IX.

Insigne ejusdem farinae exemplum est, de
urbanis habitationibus locandis, ubi in vecta &

A 3 illa-

illata pignori sunt locatori, etiam si nihil nomi-
natim convenerit.

l. 4. h. t. l. 4. l. 2. 3. 4. in quibus caus. tac. pig. contrah.

X.

Num autem & idem de rebus minoris, si-
ne curatoris autoritate, inductis illatisve in præ-
dium conductum: Ut & de suppellectile libra-
ria, studiosorum illatâ in Musæum condu-
ctum, sit statuendum? Non convenit certè in-
ter Dd. Et salvis aliorum opinionibus, u-
trumq; hoc negare placet.

*Pro Minore faciunt Dd. multi Dynus. Bart. Salicet. Costal.
ad l. 4. h. t. n.*

*Pro Suppellectile libraria facit l. 6. ff. de pignorib. & hypoth.
Dd. ad auth. habita. C. ne fil. pro pat. & ibi Cujac. in Comm. post. ad
Cod.*

XI.

Dubia etiam & hæc est quæstio. An in il-
latis est in vectis à Colono in prædium rusticum,
pignus tacitum contrahatur? Et licet antiquo-
ribus fere omnibus, nudam Domini de rebus
illatis scientiam ad taciti pignoris constitutio-
nem sufficere placuerit, nos tamen expressâ con-
ventionem hoc casu opus esse putamus.

*l. eo jure 4. ff. in quibus caus. pig. tac. contrah. l. executores 7.
cum auth. agricultores. C. que res pign. obligar. pos. l. 4. l. 5. C. de loc
tat. conduct.*

Præte-

ε A



XII.

Præterea pactum ratione materiæ, aliud est personale, quod in personam concipitur, & non transibile appellatur, (& hoc fit quando alicujus persona nominatim in pacto determinata est, veluti ne ego Sempronius à te Titio petam) aliud reale (ut quoties generatim paciscor ne petam) quod transibile dicitur.

l. 7. §. 8. hic. l. si pactum. §. ff. de probat. l. 8. §. 16. ff. quib. mod. pig. solv.

XIII.

Pacisci autem omnes possunt, qui non prohibentur. Pacisci enim & contrahere sunt de genere permissorum. Prohibentur autem quidam naturâ, quidam lege. Naturâ, qui consensu sunt destituti (nullus enim contractus est absque consensu utriusq;) Consensu autem dicuntur destituti: quidam ob defectum ætatis: Quidam ob defectum animi.

l. 1. in pr. hic. Ut sunt infantes. §. 9. Inst. de inut. stip. l. 12. ad l. Cornel. de sicar.

XIV.

Lege pacisci prohibentur Impuberes sive Pupilli: hi enim sine Tutorum autoritate inefficaciter paciscuntur, nisi commodum eorum agatur.

d. §. 9. Inst. de inutil. stip. pr. Inst. de autor. tutor. l. 9. de autor. tutor. l. 6. D.V.O. l. 9. §. 7. ff. si cert. pet. Novet. Leon. 39.

An au-

XV.

An autem pupilli pubertati proximi (tres siquidem in jure pupillaris ætatis gradus reperiuntur, quorum alius est infantum, alius infantia proximoꝝ; alius pubertati proximoꝝ)

§. 9. Inst. de inutil. stipul.

sine tutorum consensu naturaliter obligentur, anceps & intricata est quæstio? Et Salvis aliorum distinctionibus putamus pupillum non obligari, nisi in quantum factus sit locupletior.

l. 3. §. 4. ff. de neg. gest. l. 5. in pr. ff. de autor. tut. juncta l. 206. ff. de R. l.

XVI.

Ob malos animi mores pacisci prohibentur Prodigii, qui sc. neq; finē, modum, neq; tempus expensarum habent, & bona sua dilacerando & dissipando in luxuriam profundunt, & sic furiosum faciunt quo ad bona, exitum.

l. is. qui 12. ff. de tutor. & cur. dat. &c.

XVII.

Vtrum autem Prodigio hodie, ipso jure & ipsa lege bonis interdicator, An vero Judicis sententia seu decretum requiratur? turbulenta sanè est quæstio. Nobis illorum sententia, qui ut quis Prodigus declaretur, & pro tali habeatur, decreto Judicis & causæ cognitione opus esse putant, arridet.

fac. l. 1. l. Julianus 10. l. mulieri 15. ff. de curatorib. furios. &c. l. si cur.



l. si curatorem 3. C. de in integ. restit. minor &c. l. patri pro filio 27. ff. de minorib. §. item prodigus 2. Inst. quib. non est permis. fac. testam. Cujac. in l. 6. D. V. O. Borch. ad d. §. item prodigus. Inst. Diss. Fach. lib. 2. controuv. cap. 63. Arumæ, disp. 12. ad Inst. Exerc. 7. lit. a. latissime videatur Fachinæus lib. 2. controuv. c. 64. vbi ad contraria argumenta respondet.

XVIII.

Et quidem cum omnibus pacisci possumus, cum quibus jus gentium est commune, quo in numero etiam sunt hostes, peregrini, transfugæ, latrones, pyratae, hæretici, quibus omnibus aut fides non temere danda, aut data servanda est.

text. in c. noli 23. q. 1. l. nam & servus 21. ff. de negot. gest. Item Iosue 9. 2. Samuel. 12. 2. Chronicor. 36. & l. vlt. de legationib. l. 21. in fin. ff. quod met. caus.

XIX.

Materia de qua pacisci licet utiliter, sunt res omnes familiares sive privatae, sive absentes, sive praesentes, sive etiam futurae.

l. si in emptione 34. §. omnium. ff. de contrah. empt. l. pactum 46. h. t. l. 6. C. de donationib. l. interdum 73. D. V. O.

XX.

De quibusdam vero pacisci non licet idque vel ob rei naturam, vel ob prohibitionem legis.

l. pacta 6. C. de pact. l. 7. §. ait Praetor. 8. ff. h. t.

XXI.

Natura, siquidem pactum de rebus, quæ per naturam nec sunt, nec esse possunt, conceptum non valet. Et impossibile sit, id, quod in

B

rerum

rerum natura non extet, neq; secundum naturæ ordinem futurum speratur, commercio hominum subijci.

Ratio quia non entis nulla sunt qualitates, textus in §. 1. Inst. de inutil. stipul.

XXII.

Hinc non valet pactum, ut quod factum est, infectum sit, vel ut domus combusta, vel navis quæ naufragio perijt, vel homo mortuus detur.

Ratio quia facta, infecta fieri nequeunt, adde d. §. 1. Inst. d. tit.

XXIII.

Jus in conventionem res deduci vetat, quas hominū commercio exemit: quarum quædam sunt in totum exemptæ, quædam certarum duntaxat personarum commercijs.

Proem. Inst. de rer. divis.

XXIV.

Prioris generis, sunt homines liberi, res divini juris, ut sunt res sacræ, sanctæ, religiosæ & quæ extra patrimonium nostrum sunt. a) Humani, ut sunt res publicæ, Universitatis, ut theatra, stadia, & quæ loca sunt civitatis publica. b)

a) §. nullius. Inst. de rer. divis. b) §. universitatis. 6. Inst. eod. §. 2. Inst. de inutil. stipul. Cic. lib. 1. offic.

XXV.

Posterioris vero sunt Mancipium Christianum, quod Iudæis juxta ac paganis per Constit. Imp.

Imp. comparare prohibitum est, sal, purpura,
sericum, & hujus generis alia.

Tot. tit. C. ne Christianum mancip. heret. vel Iud. &c.

XXVI.

Præterea & de jure publico pacisci non li-
cet. Quæ enim publica sunt, pactis Privatorum
mutari non possunt.

l. iura sanguinis, D. R. I. l. eas 8. de cap. diminut.

XXVII.

Deniq; inhibet jus facta turpia venire in
obligationem, ut si quis promittat, se furtum,
homicidium, adulteriû commissurum vel non.

Ratio quia rei turpis nulla est obligatio. l. 6. § 3. ff. Mandat.

XXVIII.

Est etiam & illa turpis pactio, qua remitti-
tur actio delicti non facti, sed futuri: Ut si pa-
ctum, ne ob dolum in tutela vel deposito com-
mittendum agatur, interpositum sit.

l. jurisgentium. §. si paciscar. 14. l. si unus 27. §. illud 3. ff. h. r.

XXIX.

Ejusdem etiam generis sunt pacta de quotâ
litis (ut si quis promittat Advocato suo certam
partem eventus litis: h. m. si vinco, cedit tibi
tertia, quarta, vel dimidia pars emolumentum.
Honorariû quidem Advocato debetur, usq; ad
certam quantitatem determinatam, in singulis
causis usq; ad centum aureos, tametsi mores ho-
dierni, tum ob causæ gravitatem, tum difficul-

B 2 tatem,

tatem, id ipsum non usq; quaq; observent a)
& de successione alicujus interposita.

a) l. 5. C. de postulando. l. item ibiq; Dd. C. de procuratorib. l. 6. §. fin. l. seq. ff. mandat. ubi & Dd. Fulgos. Salicet. & alij. Gail lib. 1. obs. 44 n. 1. Menoch. arb. quest. cap. 522. per. tot. Prosp. Farin. part. 3. prax. crim. de ver. & divers. crimin. quest. 106. p. tot.

XXX.

Ne verò sub gravissimâ pactorum mole er-
rabundo pede quis vagetur: iccirco paucis di-
stinctionibus eâ enumeremus. Pacta itaq; aut
affirmativè de succedendo concipiuntur: aut
negativè de non succedendo. Pacta de succeden-
do affirmativè concepta, illa rursus sunt vel ac-
quisitiva, ut si paciscimur cum aliquo, de here-
ditate nostrâ aut conservanda (quæ ob delictû,
vel juris rigorem alioquin auferetur, nam hoc
in certis casibus, quin nobis liceat, ultro fatentur
Dd. ad l. fin. C. de pact.) aut simpliciter acqui-
renda: vel sunt dispositiva.

l. fin. C. de pact.

XXXI.

Pacta de acquirendâ hereditate inita, de
hereditate ejus cum quo paciscimur, nullius
sunt momenti: nulla distinctione adhibitâ, u-
trum quis alterum testamento heredem insti-
tuere, sive ab intestato successionem promiserit,
vel utrum de alterius duntaxat hereditate, atq;
sic non reciprocâ, & mutua actum fuerit.

Latissimè Treutl. omnium verò absolutissimè Hartm. Pistor. lib. 4.
question. 1. 2. 3. 4. 5. cum seqq. Exci-

XXXII.

Excipiuntur tamen commilitones, qui se invicem heredes pacto efficere possunt.

l. 19. C. h. t. Hatom. 1. conf. 72. n. 33. & multis seqq.

XXXIII.

Jus Canonicum & notoria germaniæ consuetudo, juratas filiarum renunciaciones admittunt, quibus illæ pactæ, se dote contentas fore, liberè hereditati paternæ renuntiant.

c. quamvis. 2. de pact. in 6. Gail. 2. observ. 39. n. 23. & obser. 42. n. 9. Dyn. in cap. 58. D. R. 1. in 6. Fach. 8. controuv. 71. Hart. Pist. d. loc. quest. 7.

XXXIV.

Hinc pulchra & inter germaniæ Nobiles frequentissima suboritur quæstio: Vtrum renunciatio hereditatis paternæ, quam mater dote acceptâ fecit, noceat filiis hereditatem avi parentibus, si mater patre adhuc vivente decesserit? Et nisi in contrarium consuetudo extet, filios cum avunculis ad hereditatem avi cernendam admittendos esse statuimus.

c. 1. § filij nati. si de feud. defunct. c. 1. de fil. nat. ex mat. Vbi Cujac. arg. l. 6. pr. de injust. rupt. l. 9. §. 2. de lib. & post. Hartm. Pistor. d. lib. 4. quest. 7.

XXXV.

Huic affinis est elegans hæc quæstio: An hujusmodi renunciaciones propter enormem læsionem rescindi possint? Et illas rescindi posse arbitramur.

Menoch. conf. 112. n. 37. & ibid. per tot.

B 3

Forma

XXXVI.

Forma pactorum consistit in consensu mutuo, qui est vel expressus (declaratus sc. inter absentes Epistola vel nuntio (a) Inter praesentes verò sermone ac tractatu habito: nonnunquam etiam interrogatione ac responsione, ut spondes, spondeo, promittis? promitto. (b) quo tamen casu pactum non degenerabit in stipulationem, cum hæc pactiois interrogatio & responsio sine suo proprio careat) vel tacitus: vel purus, vel non purus. (c)

(a) l. 2. h. t.

(b) l. 1. §. 1. l. continuus 137. ff. D. V. O.

(c) l. Stipulationum 5. D. V. O. adde l. 7. §. 12. ff. de pact.

XXXVII.

Finis pactorum est ut alium nobis obstringamus, vel ad dandum, vel faciendum, vel non dandum, vel non faciendum: (a) vel finis pactorum est donatio (b)

(a) l. 1. l. cum donationis 34. C. de transact. l. 15. §. 4. ff. locat.

(b) §. alie Inst. de donat. l. si quis argentum. 35. §. 5. C. eod.

XXXVIII.

De vi, effectu, & potestate Pactorum, licet varia à varijs disputentur, quorum pleraq; cum in usu esse desierint, tamen hæc instituti ratione breviter attigisse sufficiat: Pacta sc. absolute considerata obligationem naturalem producere, eandemq; ipso jure tollere.

l. 5. §. 2. l. 95. ff. de solution. Cujac. ad l. 1. hic. V. Vesenbec. paratit. n. 4. h. t.

Contra

XXXIX.

Contra verò obligationem civilem, exq; eâ actionem non pariunt, (a) Etsi ad excipiendum jure Prætorio sint efficacia, (b)

(a) l. 7. §. 5. hic. (b) l. 7. §. 4. & 7. l. 45. hic. l. 10. l. 21. C. eod. l. 1. C. de pact. convent. Treutl. vol. 1. disp. 6. 9. antepen. lit. c.

XL.

Sic etiam quædam actiones per pactum ipso jure tolluntur, ut actio injuriarum, furti.

l. 7. §. 17. in fin. de pact. l. 18. C. de transact.

XLI.

Sed & bonæ fidei contractibus adjecta actionem informant.

l. 4. in pr. ff. de leg. Commissor. l. 2. 3. ff. de præscr. verb. juncta l. 7. §. 4. ff. h. t. de pact.

XLII.

An verò idem præstent in ijs, quæ stricti juris sunt, adeò dubium est; ut Casarea decisione opus esse videatur: Interim affirmativæ calculum adijcimus.

Cum Gædd. in tract. de committ. stipul. c. 8. n. 37. & seqq. Vultei: in Jurispr. Rom. lib. 1. cap. 44. n. 37. Duar. ad l. 40. ff. de reb. cred.

XLIII.

Pacti verò obscuri sive ambigui interpretatio regulariter contra venditorē facienda est.

l. 39. hic. l. 21. l. 33. de contrah. empt. l. 172. D. R. l. Eleganter Hotom. 2. resp. amic. c. 10. Cujac. 1. obser. 10.

XLIV.

Deniq; cum nihil tam naturale sit, ut, quo modo

modo quid colligatum est, eodem etiam dissolvatur; priora pacta, ab insequentibus juris gentium pactationibus, non ipso jure, sed ope exceptionis aut replicationis tolluntur.

l. 27. §. pactus. 2. Vbi Cujac. & Gothof. h. t. l. 12. C. cod.

COROLLARIA.

An pactum, quo impunitas promissa est ei, qui atrox aliquod facinus detegit, sit servandum? Distinguimus.

2.

An pacta inhonesta juramento confirmentur. Neg.

3.

An pactum inter egrotum & Medicum sit validum? Affirm.

F I N I S.



Handwritten text in a Gothic script, likely a title or chapter heading, partially obscured by the binding.

01 A 6518

ULB Halle 3
002 937 514


VD 17

Ulbo ✓

Handwritten text at the bottom edge of the page, possibly a signature or date.





IX
DISPUTATIO
DE PACTIS.

Quam

Adnuente Deo Trinunō,

Consensu atq; permissu Magnifici
Dni. Ordinarij, Amplissimæq; Faculta-
tis Juridicæ in Incluta Lipsiensium
Academia.

P R Æ S I D E.

Clarissimo, Consultissimoq; Viro, Dno.

V V i l h e l m o S c h m u c k i o ,
Philosophiæ & I. U. D. Præceptore
suo æviternum venerando
Publicè

In auditorio Ictorum tueri conabitur

V V I L H E L M . M V L L E R ,
Hamb. Saxo. Aut. & Resp.

*Initium fiet hor. VII. matut.
ad diem XXVI. Martij.*

L I P S I Æ ,

Excudebat LAURENTIUS COBER.

Anno M. DC. XVIII.